

**THEOLOGIA MORALIS SPECIALIS**

## TRACTATUS V.

### DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM.

#### SECTIO I. — DE FIDE.

##### CAPUT I.

###### QUAE MYSTERIA NECESSARIO CREDENDA SINT.

**190. NOTIONES.** Duplex necessitas in ordine ad salutem adipiscendam distinguitur : altera medii, altera praecepti.

*Necessaria necessitate medii* ea sunt sine quibus, etiam *inculpabiliter* omissis, salus, in praesenti Providentiae ordine et lege ordinaria, obtineri nequit. Haec autem necessitas potest esse stricta vel lata : *stricta*, quando medium in seipso requiritur, neque alia quapiam re, tamquam vices illius gerente, suppleri potest, ex. gr. gratia sanctificans in ultimo vitae instantे ; *lata*, quando aliqua alia res potest supplere vices medii quod haberi nequeat, ex. gr. caritas perfecta pro sacramento baptismi.

*Necessaria necessitate praecepti* ea sunt quibus *culpabiliter* omissis salus obtineri nequit, ut sunt ea omnia quae sub gravi obligant. Haec enim requiruntur ne ponatur obex fini ultimo adipiscendo. Sic Sacrum die Dominica audire debo ne me salute adipiscenda indignum efficiam, quamvis illam, absolute loquendo, etiam absque illo religioso actu assequi possim.

Quando finis est sub obligatione prosequendus, patet simul praecipi omnia illa media quae ad hunc finem prorsus necessaria sunt. Ideo, cum unusquisque teneatur ad justificationem et salutem adipiscendam, obligatur quoque ad adhibenda omnia media quae ad hunc finem requiruntur, ac proinde illa erunt simul necessaria necessitate medii et necessitate praecepti.

Fidem in sequentibus semper intellegemus stricto sensu, nempe eam "qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem, naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis qui nec falli, nec fallere potest." (Vatic. c. III. de Fide)

**191. ASSERTA. I. Necessitate medii** explicite credenda esse constat tantum haec duo: Deum esse et bonorum remuneratorem esse, ut diserte docet S. Paulus (Hebr. XI, 6): "Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit." Ex ipsis argumenti natura liquet hic unice agi de iis qui actus humani capaces sunt, nequaquam de infantibus vel perpetuo amentibus, qui, sine ullo actu personali, per baptismum, consequuntur justificationem, quam non amittent propter omissionem actus cuius non sunt capaces.

**II. Probabilis** non requiritur de necessitate medii fides *explicata* mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis. Nullo enim arguento satis firmo id probatur: divinae autem bonitati, quae omnes homines vult salvos fieri, congruit ut nihil aliud absolute exigat quam quod ex morali rei natura necessarium est ut homo se ad Deum convertat, nempe ut Deum cognoseat. Eumque sibi propitium fore speret. Neque plus requirunt AA. qui, ut Lugo et Suarez, fidem utriusque mysterii explicitam dicunt quidem necessariam necessitate medii, sed addunt sufficere ut *in voto* habeatur, quando re haberi nequit. Discremen ergo cum sententia quae simpliciter negat necessitatem medii, vertitur in scientifica explicatione necessitatis medii et praeepti. (Ball. P. n. 11 seqq.) Alii tamen, quorum sententiam probabiliorem opinatur S. Alph. (I. 3. n. 2), censem fidem explicitam requiri a quo tempore Filius Dei incarnatus est.

**Practice** omnes conatus adhibendi sunt ut nemo baptizetur, absolvatur vel moriatur quin explicite utrumque mysterium crediderit: cum enim agatur de iis quae, etiam inculpabiliter omissa, salutem impedire possent, non licet spernere probabilitatem, saltem extrinsecam, sententiae severioris. (n. 68) Certe tamen sufficit ut rudes haec tam sublimia modo valde imperfecto apprehendant, nempe, sicut exponit Lehmkuhl (I. n. 279), ut sensu harum veritatum intellecto, divina fide eas assumant, etsi interrogati ulteriore rationem reddere nequeant.

Non raro, praesertim in regionibus barbaris, occurtere possunt qui haec mysteria proprio conceptu apprehendere nequeant ideoque neque explicite credant: hi quoad hoc assimilandi sunt infantibus et amentibus. (Ball. P. n. 15)

Si qui ignorantia crassa laborantes ad confitendum accedunt, confessarius nequit eos absolvere, extra casum necessitatis, antequam didicerint ea quae certo vel probabiliter sunt de necessitate medii cognoscenda: secus enim sacramentum periculo nullitatis exponeret. Quare, cum eis signum crucis faciat ejusque singula verba breviter explicet; postquam actum fidei elicuerit poenitens et promiserit se reliquis scitu necessariis addiscendis operam daturum esse, absolvatur, nisi quid aliud obstet. Confessiones autem factae cum invincibili ignorantia mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis probabiliter sunt validae et, juxta regulam generalem in Tract. de Poenit. statuendam (Vol. II. n. 305), non sunt necessario repetendae. (Ball. P. n. 18)

**192. III. Necessitate praeepti** tenetur unusquisque christianus, qui impotentia non excusetur, credere et scire, crasso saltem modo et quoad substantiam:

1º *Symbolum Apostolorum*. Nam fideles omnes tenentur ad agnoscendam religionem suam, saltem quoad substantialia capita. Quaedam tamen in Symbolo expressa, ut de Pontio Pilato, ad haec substantialia non pertinent: unde gravis certe non est obligatio ea explicite credendi.

2º *Decalogum*: nam his praeeceptis vitam conformare debet.

3º *Sacraenta omnibus necessaria*, nempe baptismum, Eucharistiam, poenitentiam; reliqua, quando opus est ut suscipiantur.

Ut huic obligationi, quatenus gravis est, satisfiat, sufficit ut de singulis punctis, quae in praedictis continentur, interrogatus recte respondeat, saltem quod pertinet ad rei substantiam, prout ab Ecclesia proponitur. Nihilominus, saltem practice, venialiter peccat qui, licet impotentia non excusetur, neglegit haec memoriae mandare eo ordine quo communiter proponuntur: nam magno periculo se exponit ea neque quoad substantiam retinendi.

**IV. In rigore praeepti** non tenentur fideles ad cognoscenda memoriter verba et seriem Orationis Dominicæ, multo minus Salutationis Angelicae: siquidem nullum exstat praeceptum ut hae aliaeve orationes vocales privatim recitentur. Attamen, cum omnes aliquando ad orandum obligentur, oportet ut substantiam Orationis Dominicæ norint, quatenus hoc necessarium est ad intellegendum quid possint et debeant orando petere. *In praxi* qui orationes illas ignorant monendi sunt ut addiscant: vix enim aliter praeeptio orationis aliquisque satisfacient. (Suarez, de Relig. tr. 4. I. 3. c. 6)

## CAPUT II.

## DE FIDEI ACTU INTERNO.

**193. I.** Praeceptum fidei internum tum affirmativum, tum negativum est; quatenus *affirmativum*, obligat ad credenda ea quae a Deo revelata sunt et ab Ecclesia proposita: quatenus *negativum*, vetat ne quis eadem neget vel in dubium revocet. Hic tantum determinabuntur circumstantiae in quibus urgeat pars affirmativa; de negativa dicetur cap. IV.

Obligatio actus fidei eliciendi quandoque urget per se, seu ratione ipsius praecepti fidei, quandoque per accidens, seu ratione alterius praecepti quod, sine actu fidei, impleri non possit. Attamen in hoc posteriore casu unum tantum peccatum committitur ab eo qui illud alterum praeceptum transgreditur.

**194. II. Per se obligat praeceptum fidei internum:**

1º Pueros inter fideles educatos, quando, rationis usum perfecte consecuti, mysteria fidei audiunt, apprehenduntque quod illa credere sit res necessaria ad salutem. "In praxi numquam contingit hos pueros esse in mora." (Sanch. in Dec. 1. 2. c. 1. n. 3)

2º Adultos acatholicos, quando fides catholica ipsis sufficienter proposita est ut ratio, cum morali certitudine, dictet hanc fidem esse veram. Quodsi nondum affulget haec moralis certitudo, sed propria secta videtur adhuc probabilis, quamvis jam pro fide catholica probabiles vel etiam probabiores rationes appareant, habebitur sane obligatio inquirendi veritatem, nondum tamen urget obligatio statim credendi. Nec quidquam amplius videtur erui posse e damnatione prop. 4<sup>ae</sup> ab Innoc. XI reprobatae: "Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili." Attamen, in articulo mortis, infidelis cui fides catholica videretur probabilius, teneretur ad eam amplectendam: cum enim tunc agatur de re quae sit omnino ad salutem necessaria, tutius sequendum est. (Ball. P. n. 44 seqq.)

3º Tentatos contra fidem ita ut, nisi actum positivum eliciant, in periculum fidei amittendae labantur. Saepe tamen hujusmodi tentatio facilius vincetur mentem ad alia divertendo.

4º Post lapsum in haeresim vel apostasiam.

5º Interdum in vita. Quoties autem hujusmodi actus sit eliciendus theoretice determinari nequit, ut patet ex optimorum AA. dissidiis. Neque practice ulla difficultas inde oritur: nam, cum materia honeste et inhoueste operandi frequenter occurrat, christianus saepe actum

fidei saltem implicite exercebit, dum propter fidei motiva virtutem colet vel a vitiis cavebit. Ab Innoc. XI damnata est prop. 17<sup>a</sup>: "Satis est actum fidei semel in vita elicere."

**195. III. Per accidens obligat praeceptum fidei internum:**

1º Quando urget tentatio contra alias virtutes quae alia ratione superari nequeat. Propterea non raro in articulo mortis haec obligatio viget. (Ball. P. n. 51)

2º Quando professio fidei exterior facienda est.

3º Quando urget aliud praeceptum quod fidem supponit, ex. gr. communicandi. Sufficit tamen in hoc casu ut eliciatur fides in eum articulum qui huic praecerto implendo praerequiritur, ex. gr. in praesentiam realem Christi in Eucharistia, neque necessarius est actus fidei *formalis*, sed sufficit *virtualis* seu *implicitus*, scil. persuasio in animo permanens e motivo revelationis olim explicite et advertenter cognito. Multo minus obligamur ad recitandam formulam consuetam actus fidei. (Ball. P. n. 50)

## CAPUT III.

## DE FIDE EXTERIUS PROFITENDA.

## § I. REGULAE GENERALES.

**196. I.** Numquam licet veram fidem negare vel falsam profiteri sive *explicite*, verbo, signo, nutu; sive *implicite*, opere, silentio, omissione quae, in concretis adjunctis et juxta communem existimationem, aequivaleat fidei negationi. Utroque modo committitur peccatum grave. Nam dedecus inuritur Deo ab eo qui erubescit se Illius servum fateri: quod tanto clarius patet quanto artiora sunt vineula quibus creatura Creatori obligatur. Cfr. Matth. X, 33. Ita graviter peccaret qui, etiam mere externe, idolo exhiberet honorem qui communiter tamquam cultus signum haberetur, vel taceret quando alius pro eo responderet eum non esse catholicum.

Nequaquam fidem negaret, sed per se leve tantum mendacium faceret qui negaret se esse sacerdotem, religiosum, etc.

**III.** Tenetur unusquisque christianus **fidem quandoque exterius profiteri**. Cfr. Rom. X, 10. Haec obligatio fundatur in vita sociali quam fideles in Ecclesia, societate externa et visibili, agunt. Etenim conjunctio illa visibilis quam Christus inter membra Ecclesiae sua